

tum bidui, scilicet $1. \text{ gra. } 58^{\text{a}}, 16_2^{\text{a}}, 22_3^{\text{a}}, 44_4^{\text{a}}, 32_5^{\text{a}}, 22_6^{\text{a}}, 26_7^{\text{a}}$, collocandum è regione binarij. Huic iterum adiunge motum diurnum, & habebis motum tridui collocandum iuxta ternarium sinistrum. Huic rursus adjicito motum diurnum, & conflabis motum quatruidi, & sic consequenter ne in re plenissima sim verbosior, vt.

DIES	S	gr.	I	II	III	IIII	IIIII	IIIIII	IIIIIII
1	0	0	59	8	11	22	16	11	15
2	0	1	58	16	22	44	32	22	29
3	0	2	57	24	34	6	48	33	44
4	0	3	56	32	45	29	4	44	59
5	0	4	55	40	56	51	20	56	13
6	0	5	54	49	8	13	37	7	28
7									
8									
9									
10									

&c.

Vario $\delta\omicron\kappa\iota\mu\alpha\sigma\iota\alpha$ vel
examen

Ac quia Canones mediorum motuum, oportet esse quam emendatissimos, proderit etiam hanc $\delta\omicron\kappa\iota\mu\alpha\sigma\iota\alpha$ seu collationem instituire, quam ex hoc exemplo facile transferet peritus lector ad alia. Si addis motum diurnum ad motum quinq; dierum non dubium est, quin emergat motus 6. dierum, qui tum ex duplo motus tridui, tum ex coagmentatione motus bidui & quatruidi existere debet, quemadmodum notum est.

Similiter propagabis æqualem motum in alijs temporum speciebus, vt annis, mensibus, horis, nisi quod in annis Iulianis rationem bisexti habere oportet, deinde & menses sunt inæquales, quia constant aut 28. aut 29. aut 30. aut 31. diebus, quod accurate in hoc negotio obseruari conuenit.

$\alpha\phi\alpha\iota\gamma\epsilon\sigma\iota\varsigma.$

SVBTRACTIO.

Vt dictum est in præcedente parte, prima cura debet esse iustæ collocationis, & conuenientius superiori loco scribuntur numeri, vnde debet fieri subtractio, inferiori autem loco ij numeri, qui ab alijs auferendi sunt. Inde similia auferantur à similibus factò initio à tenuissimis seu minimis scrupulis, vt à dextris versus sinistram regrediaris, sicut in additione. Quod si acciderit, vt in aliqua specie inferior numerus à superiori subduci non queat, memineris quod sicut in additione redundante sexagenario sub